

operationes complebit, partemque in suam conuertet substantiam, inque preciosissimum præ cæteris mundanis omnibus thesaurum philosophorum.

De alio ad lapidem processu, per Paracelsum. CAP. XIII.

VARIÆ sunt viæ philosophicæ, ad vnum & eundem scopum & lapidem tendentes, vt ex præcedentibus atque sequentibus patet. Quapropter varijs modis ab autore hæc ars describitur. Audiamus ergo quid alio loco de hoc lapide doceat. Natura mineralium (inquit) genus vnum in visceribus terræ produxit admirandum, idque duplex, hoc varijs Europæ locis reperitur. Optimum quod mihi præ manibus oblatum fuit, & experimento comprobatum, ex figura maioris mundi, ab exordio spheræ solis est astrum: alterum in astro meridionali consistit in prima sua florescentia, viscum est terræ per suum astrum in lucem productum, & in prima sua coagulatione ornatum rubedine, in eo flores omnes mineralium & colores includuntur, de quibus multa penes philosophos.